



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *UT FERT PROBATA* IN CIVITATE INSULARUM SALOMONIARUM

NUNTIATURA APOSTOLICA CONSTITUITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ut fert probata Sanctae Sedis consuetudo, pertinet quidem ad gravissimum officium supremi Pastoris, quod Deo adiuvante tueri contendimus, iustam curam operamque ponere in Apostolicis Nuntiaturis apud Nationes, ubi fieri potest, condendis, adeo ut per Legatos Nostros alium alii Legationi praepositum non modo publicae necessitudinis rationes augeantur et confirmentur, quae cuilibet Dicioni cum Apostolica hac Sede intercedunt, sed commune etiam religionis et civitatis bonum ubique terrarum magis magisque inter homines foveatur. Anno autem proxime elapse MCMLXXXIV, certis consideratis amicitiae vinculis Sanctam Sedem et Insulas Salomonias inter se colligantibus, Nobis ipsis, cum illic versaremur Apostolicae Peregrinationis causa, bene visum est fieri, si Nuntiatura Sanctae Sedis ibi quoque institueretur. Quare, ratum libentissime habentes Decretum Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide inde a die IX mensis Maii memorati superioris anni valiturum, hodie ex eiusdem Sacrae Congregationis consilio deque plenitudine potestatis desuper Nobis traditae Nuntiaturam Apostolicam in Insularum Salomoniarum Civitate recte ac legitime constituimus ad eamque iura privilegia indulta deferimus omnia, quae ad reliquas Nuntiaturas Apostolicas sane pertinent. Quae denique per has Litteras in modum Brevis Marioris ediximus, statuimus, ea volumus effectus suos nunc et in posterum habere, contrariis haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Ianuarii, anno Domini MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana
